

Achilles Pirmin Gasser¹⁾ an Vadian.*Feldkirch. 1545. April 7.*

Bitte um Zusendung der Vorschriften über Behandlung der kranken Tochter Furtenbach, sowie der Beschreibung der vorher angewandten Mittel. Verschlimmerung im Befinden der Kranken.

Υγιαίνειν. Equidem non tam obstreperus tuisque illis arduis negotiis importunus esse (vir prudentissime) auderem, nisi magnitudo atque adeo iniquitas ipsa morbi, ut maturaremus simul ambo tum quam tu nobis et opem et cooperationem es pollicitus, tum quam ego, te fretus, humeris meis me Hercule longe imparem suscepi curam, una cum ipsamet matrona Fortebachia, cui non iniuria dies noctesque negotium hoc molestissimum unice incumbit, adigerent et urgerent invitum. Quare pro tua humanitate interpellationem hanc equi bonique consule ac, qua potes fide aut fidelitate, τῆς παραλύσιος nostrę medicationem, non omittendo dudum communicatas^{a)} pharmacorum descriptiones (quas non D. Gerion, sed Wolffhardus ipse in usu habuit nobisque præscripsit), huc mittere procrastinare noli, et curabo diligenter, ut non ingratis te aliquando inseruisse dicere possis. Porro nolo te ignorare, quod puella ipsa interea tempus, sive oscitante alypta sive papistici victus culpa, et coxendicem affecti lateris dolere et etiam claudicare magis magisque quam unquam antea, consuetis tamen evacuationibus undique se recte habentibus, occeperit.

Vale, vir præclarissime, et quem semel in tuorum album recipere non es dedignatus, non modo, uti soles, amare perge, sed etiam ad quævis libuerit paratissimum experiri aliquando aude. Velcuriæ, 7. Aprilis, post natum servatorem Christum 1545 labente anno.

Tuus ut suus *Achilles P(irminius) Gassarus*
L(indaviensis).

Nobili doctissimoque philosopho et medico D. D. Ioachimo Vadiano, Sangallensis civitatis consuli circumspetissimo, domino ut præceptoris suo charissimo.

Santgallen.

a) „comun-“.

¹⁾ Vgl. oben, Brief 1386.